

lam, neque illud sufficere ad contemptum, nisi includat obstinatum animum non parendi regulari disciplinæ in transgressione talis regulæ, vel nisi includat aliud genus periculi et contemptus a nobis expositi. Est autem hoc discrimen inter generale propositum circa totam regulam, vel particulare circa unam aut aliam, quod facilius potest illa generalis dejectio animi vergere in contemptum, vel constituere hominem in gravi periculo, ut per se clarum videtur. Et hanc etiam solam differentiam invenio inter illam intentionem generalem, et executionem in frequenti transgressione regulæ; nam hæc moraliter contingit ex sola fragilitate, et ex particularibus affectibus, vel negligentis, quæ in diversis occasionibus occurrunt; et ideo in illa non est tanta occasio perveniendi ad contemptum, sicut est in formali deliberatione aut proposito.

CAPUT V.

UTRUM TENEATUR RELIGIOSUS NON DIMITTERE SUUM HABITUM.

1. *Prima suppositio, morem certi habitus esse religiosi ab antiquo usitatum.* — Occurrebat primo dicendum hoc loco de monachorum habitu singulari, an convenienter introductus sit, et ex quo tempore, et qua ratione ac fructu. Nam hæretici hujus temporis sicut religiosorum statum odio habent, ita in eorum habitum et cæremonias vehementer invehuntur. Verumtamen hoc labore liberavit nos eruditissimus Bellarminus, qui lib. 2 de Monachis, c. 40, rem hanc diligenter expedit; et ex his, quæ adducit, constat morem hunc ab initio nascentis Ecclesiæ incepisse. Imo, si antiquiora etiam tempora inspicimus invenimus Eliam, Joannem Baptistam, ac alios, qui austerius vitæ genus professi sunt, in exteriori habitu id demonstrasse. Unde Chrysostomus, homil. 69 in Matth., dicit monachos habitu imitari Eliam et Joannem. Et Dionysius, c. 6 Ecclesiast. hierarch., commemorat antiquum morem mutandi habitum in professione monachatus: *Sacerdos* (inquit) *signo crucis eum consignatum tondet, omnique veste detracta, eum alia induit.* Cassianus, lib. 1 de Instit. renunciant., per multa capita habitum monachorum describit, et per singulas ejus partes mysticas illius rationes reddit. Tractat etiam Basilius in regulis fusius disputatis, c. 22, attingens potius rationes morales,

vel, ut ita dicam, usuales illi statui accommodatas.

2. *Secunda suppositio de causis prædictæ moris.* — Duplex enim est præcipua causa, ob quam peculiaris habitus religiosi tributus est. Una comprehendit varias rationes morales, scilicet, usus paupertatis, ut tantum consulatur decentiæ, et conservationi naturæ, non abundantiae et superfluitati, juxta illud Pauli: *Habentes alimenta, et quibus tegamur*, ut optime ad hoc propositum expendit Basilius, reg. 22, ex fusius disputatis. Alia est corporis mortificatio et pœnitentia, quæ non parum exercetur in vestitus asperitate. Altera est professio humilitatis et abjectionis, quæ in exteriori habitu multum cernitur. Et hæc rationes, ac similes, communes sunt omnibus religiosi, unicuique juxta finem et institutum suum. Alia vero causa, quam mysticam vocamus, est significatio aliqua quæ aliquando est in colore, ut vestis alba significare solet candorem mentis. Vel e converso fuscam vestem ait Augustinus, epist. 199, significare continentiam; et de cuculla ait Cassianus significare simplicitatem et innocentiam; et sic de aliis. Moralis autem ratio, quæ ex ratione etiam signi sumitur, est, ut monachus ab hominibus aliorum statum, scilicet a laicis et clericis secularibus, distinguatur; et quia monachorum religiones variæ sunt, exterior etiam habitus diversus distinctionem inter eas notam facit. Quæ ratio maxime locum habet in religionibus monachorum. Nam religio clericorum habere potest habitum aliis clericis communem, ut inferius suo loco de Societate dicemus.

3. *Proponitur quæstio, et ratio dubitandi utrinque.* — *Quæstio vel proponi potest de dimissione habitus vel de spoliatione.* — Hoc ergo supposito, quæstio est an religiosus, qui ex regula peculiarem habitum defert, teneatur sub culpa gravi non deserere vel mutare talem habitum. Et ratio dubitandi est, quia regula religionis, ut supponimus, non obligat ad culpam, vel gravem culpam; sed religiosus solum tenetur deferre habitum suum ex vi regulæ; ergo ad illum retinendum solum tenetur regulari obligatione, non autem rigorosa, et sub mortali. Minor probatur, quia religiosus non se obligat ex voto ad deferendum habitum, vel tonsuram, de qua eadem est quæstio, magis quam ad observandas alias cæremonias ordinis; ergo solum superest illi obligatio ex regula; et ita sentit Panormitanus, in c. *Deus qui*, de Vita et honest. Cleric., n. 2, circa pri-

mam glossam, ubi non videtur facere differentiam inter hanc observantiam, et alias, quæ sunt ex regula. In contrarium autem est, quia, juxta traditionem omnium religionum et communem existimationem, gravis culpa in religioso censetur suum habitum deserere. Est igitur advertendum in proprietate sermonis aliud esse spoliare se seu nudare habitu, aliud deserere aut mutare habitum. Nam primum fieri potest ad breve tempus, et sine assumptione alterius habitus, ad dormiendum, verbi gratia, ad balneum sumendum, vel natandum, vel ob alias similes causas. Secundum vero proprie significat relinquere religiosum habitum ad induendum alium. Quod fieri potest, vel ad vivendum diu aut perpetuo in alio habitu assumpto, et illud est proprie renuntiare habitum; vel solum ad breve tempus, et illa dicitur mutatio habitus, quamvis hæc vox generalior sit. Potest etiam mutatio esse vel in habitum secularem, vel in alium habitum religiosum.

4. *Prima assertio de demissione habitus peccaminosa graviter.* — *Probatur.* — *Confirmatio prima.* — *Confirmatio secunda.* — Dico ergo primo teneri religiosum sub mortali peccato retinere, id est, non mutare proprium religionis habitum. Hanc assertionem ut certam supponunt omnes Doctores, quos nunc omitto, quia infra, lib. 3, a principio, tractando de apostasia a religione, referendi sunt; nam unus modus et frequentior apostatandi est per desertionem habitus. Et sufficienter probatur ex cap. 2, Ne cleric. vel monach., in 6, ubi fertur excommunicatio ipso jure in quemlibet religiosum professum temere dimittentem religionis suæ habitum; excommunicatio autem major supponit peccatum mortale. Confirmatur, nam clericus secularis tenetur sub mortali non deserere vel mutare clericalem habitum, ut constat ex toto titulo de Vita et honestate clericorum; ergo idem dicendum est de religiosi, nam quoad hoc æquiparantur in jure. Unde confirmatur per argumentum ab speciali, ex cap. *Deus qui*, de Vita et honest. cleric., ubi Innocentius III concedit quibusdam monachis et religiosi diversorum ordinum, ut in unum honestum habitum se conforment, ut possint melius uniri, vel scandalum auferre ad Evangelium prædicandum; ergo supponitur in illo textu non posse religiosos, per se loquendo, licite mutare habitum. Optime hoc confirmat c. *Clerici*, 2, de Vit. et honest. cleric., ibi: *Pontifices autem in publico et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur,*

nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem, ubi clare supponitur hæc obligatio; imo etiam ex illo textu recte probatur teneri religiosum ad deferendum habitum suum patentem, cum non permittat etiam per Episcopalia indumenta occultari. Quæ etiam est ibi communis opinio, quam expresse quoque docuit Navarrus, in consiliis de Regularibus infra citandis.

5. *Ex jure naturali, supposito voto, nasci hanc obligationem videtur.* — *Non esse hanc causam sufficientem sumptam per se solam.* — Sed difficultas est, unde nascatur hæc gravis obligatio non deserendi habitum, seu quo jure hoc præceptum introductum sit; et imprimis dici potest esse de jure naturali, supposito tali voto, et statu, et institutione ac fine talis habitus. Nam, ut num. 2 diximus, hic habitus non solum datur ad humanum usum, sed tanquam insigne propriæ professionis. Eo autem ipso quo quis assumit aliquod munus vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud, consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum publice institutum et datum ad talem professionem significandam, nam illa est virtualis quædam defectio ab illa obligatione. Quæ ratio manifeste convincit, quando habitus deponitur animo retrocedendi ab statu; nam tunc plane committitur apostasiæ vitium, quod, supposito voto, contra legem divinam et naturalem est, ut significatur in Concilio Carthaginensi IV, cap. ult., habetur in c. 1, 27, q. 1, et idem habetur in cap. *De viduis*, et cap. *Viduas*, cum aliis, ead. caus., et 9, cap. 2, 20, q. 3, ex Concil. Tolet. VI, c. 6; tunc autem præcise agimus de sola depositione habitus. Posset autem intelligi aliquem velle retinere statum, et servare substantialia ejus, nolle autem uti tali habitu, quod posset facilius in monialibus contingere. Ergo non satis est obligatio ad statum, nisi addatur specialis obligatio ad deferendum in habitu proprium signum talis status. Ad hoc vero dici posset, quamvis hæc duo speculative (ut sic dicam) sint separabilia, practice in tali materia non posse separari, quia vel religiosus dimittit habitum relinquendo etiam monasterium, sequæ ab obedientia suorum Prælatorum subtrahendo, vel sub illa manens. Priori modo retrocedit ab statu in quo perseverare tenetur, et est apostata, ut infra citato lib. 3 videbimus; posteriori autem modo impossibile moraliter est ut habitum mutare permittatur. Quæ ratio probat quidem optime, quando mutatio habitus

diuturna est, et quando per modum status assumitur; tamen etiam de illa non probat in universum, sed ut in plurimum. Nam in religione militari, verbi gratia, potest aliquis nunquam deferre habitum, dissimulantibus et conniventibus Prælatibus, vel forte ignorantibus; et in monasterio monialium nimium relaxato posset aliqua deponere velum, et seculari modo ornari, in cæteris servando integritatem sui status. In quibus casibus si id contingat, non desinit religiosus peccare mortaliter propter negligentiam vel ignorantiam Prælatorum non adhibentium coactionem; et præterea hoc peccatum non solum committitur in stabili mutatione habitus, sed etiam in ea quæ fit ad breve tempus, ut ex diet. cap. 2, Ne clerici vel monach., in 6, sentit Navarrus, cons. unico de Apostatis, n. 6; et tamen ratio facta in eo casu non procedit.

6. *Completa causa prædictæ gravis obligationis traditur.*—Necessarium ergo est ut, præter rationem naturalem et necessariam connexionem moralem cum statu et obedientia Prælatorum, sit aliqua positiva lex, quæ directe obliget ad retinendum habitum religionis, quam semel quis professus est. Alioquin non erit per se gravis malitia in contraria dimissione, sed solum ex adjunctis, vel per accidens, ratione scandali. Dico ergo habere religiosos positivum præceptum, quo ita obligantur. Propter difficultatem autem in num. 3 positam, addendum est hoc præceptum non tam fundari in speciali regula, quam supponi (cum proportione) ad omnem regulam. Est enim hoc tanquam generale quoddam jus status religiosi, ut unusquisque in sua vocatione, et consequenter in proprio habitu suæ vocationis permaneat. Quod jus, quatenus extenditur ultra id quod mere naturale est, potest dici non scriptum, id est, communi consensu et traditione omnium religionum receptum. Potest etiam dici jus commune canonicum, quia in decretis supra citatis, auctoritate Pontificum et Conciliorum generalium confirmatum est.

7. *Responsio Cajetani quoad primam dubii partem.*—Sed quærendum restat an dimissio vel mutatio habitus semper sit peccatum mortale. Quod dubitari potest primo ex modo peccandi, secundo ex parte materiæ. Quoad primum, Cajetanus, in Summ., verb. *Clericorum peccata*, significat religiosum non peccare mortaliter, nisi temere dimittat suum habitum; nam inde probat quasi a fortiori clericum non peccare mortaliter dimittendo suum, nisi te-

mere id faciat; quid autem sit temere dimittere, explicavit idem Cajetanus, 2. 2, q. 53, art. 3, dicens, temeritatem esse inordinationem ex contemptu; et infra dicit esse speciem præcipationis contemptum addentem. Et in illo rigore dicit esse interpretandos canones imponentes pœnas temere delinquentibus, alludens inter alia ad c. 2, Ne cleric. vel monach., in 6, ubi excommunicatur monachus temere dimittens habitum. Ergo jungendo omnia, sentit non esse peccatum mortale dimittere habitum, nisi fiat ex contemptu.

8. *Rejicitur Cajetanus.*—*Vera resolutio.*—Quod si hæc doctrina vera est, non magis obligatur sub mortali religiosus ad non dimittendum habitum, quam ad non transgrediendam quæcumque regulam; quæcumque enim transgressio est mortalis, si fiat ex contemptu, et non alias. Hoc autem repugnat his, quæ hæcenus diximus, et communi modo sentiendi et loquendi Doctorum; censent enim multo majorem esse obligationem ad non dimittendum habitum, quam ad alias particulares observantias regulæ. Quocirca, licet temeraria dimissio in illo rigore explicata a Cajetano necessaria forte sit ad incurrendam censuram latam in diet. c. 2, de qua re in proprio loco diximus, tom. 5, in 3 p., disp. 23, sect. 4, tamen ad peccandum mortaliter non est necessarius contemptus, sed ex parte modi peccandi sufficit quælibet libertas, quæ ad alia peccata mortalia satis est, sive sit mista cum ignorantia culpabili, sive cum passione et pravo affectu vagandi per aliquod tempus, fornicandi, percutiendi aliquem, etc., qui esse potest sine proprio contemptu. Ratio est, quia hæc materia est gravis ex suo genere, et est striete prohibita per sacros canones, non solum in diet. cap. 2, sed etiam in antiquioribus, et communis traditio et consensus declarat illam rigorosam et potissimam legem prohibentem; ergo, ut transgressio ejus sit peccatum mortale, non est necessarius formalis contemptus, sed sufficit virtualis inclusus in libera voluntate faciendi actum legi contrarium. Et hæc est communis sententia Doctorum etiam explicantium illam particularem temere, in diet. cap. 2; dicunt enim temere dimitti, quoties sine causa rationabili dimittitur, ut notavit Sylvester, verb. *Excommunicatio*, 9, numero quingentesimo primo.

9. *Expeditur posterior pars dubii.*—Quoad secundam partem, certum videtur posse hoc peccatum esse aliquando veniale ex parte materiæ, quod aperte sentit Sylvester, verb. *Ex-*

communicatio, 9, n. 53, cum aliis quos refert. Potest autem hæc levitas materiæ in præsentem considerari et ex parte temporis; quia, licet dimittatur habitus, statim reassumendus est, et ea intentione exiit. Et in hoc casu præcipue videntur loqui Paludanus, Sylvester et cæteri, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, nec dicitur quis simpliciter assumere secularem habitum eo quod ad breve tempus illum induat, argumento legis *Divortium*, ff. de Divortii. Alii tamen hunc casum non admittunt, quia si revera fiat mutatio dolosa ad utendum serio habitu seculari, et ut talis persona secularis reputetur, videtur esse materia gravis, etiamsi pro brevissimo tempore fiat. Quod videtur sentire Navar., diet. cons. de Apostasia, num. 6, et summa Rosell., verb. *Excommunicatio*, et videtur valde probabile, quia illa materia habet intrinsecam deformitatem repugnantem illi statui. Unde addendum secundo est, ut talis mutatio fiat levis, necessarium esse ut etiam ex intentione minuatur, verbi gratia, si quis ad breve tempus mutet habitum, non ut serio illo utatur, vel ut secularis incedat, sed ludi causa ad representandum, vel quid simile; tunc enim sine dubio erit res levis; quod etiam frequens usus virorum timoratorum declarat.

10. *Objectio contra proxime dicta de intentione enucleatur.*—Dices: intentio est valde extrinseca respectu talis materiæ; ergo si materia ipsa est contraria præcepto, et alioquin est sufficiens ad peccatum mortale, non fiet veniale, eo quod ex intentione jocosa aut levi fiat. Respondetur hoc verum esse de intentione mere extrinseca, quæ non mutat moralem rationem actionis; nos autem loquimur de intentione efficiendi hujusmodi mutationem. Voco autem in præsentem variationem moralem actionis, quod mutatio habitus fiat ad mutandam revera speciem exteriorem et existimationem status, vel quod fiat solum ad representandam aliquam personam, quia secundum æstimationem moralem hæc sunt actiones diversarum rationum; imo posterior non censetur vera mutatio. Prior vero est propriissima, et ideo quamvis fiat ex intentione quæ secundum se tantum sit peccatum veniale, ut ad intuendum publicum ludum, vel quid simile, ipsa ratione suæ materiæ vel prohibitionis erit peccatum mortale.

11. *Quomodo mutando partem solum habitus, fiat aut non fiat levis mutatio.*—Alio modo videtur hæc materia posse esse levis, quia non totus habitus, sed pars ejus dimittitur. In quo

præcipue est observandum, ne religiosus habitus ita ex parte minuatur, ut ex reliquo cognosci non possit an talis persona religiosa sit, necne; jam enim illa materia erit semper sufficiens ad peccatum mortale; quia in ea consummatur transgressio legis, et quoad materiam, et quoad finem ejus. Quin potius, licet quis exuendo exteriorem partem habitus, retineat internam, et superinduat secularem habitum ne religiosus appareat, ratione materiæ non excusabit gravem culpam; quia illa pars cum illis circumstantiis est satis gravis materia, et quia religiosus tenetur exteriorem habitum suum retinere, ut colligitur ex cap. *Deus qui*, de Vit. et honest. cler., et sentiunt ibi glossa, Joan. Andr., Anton., et Panormit., Navarr., consil. 76, de Regularibus, in nova impressione. Si vero pars habitus, quæ retinetur, exteriore apparet, et est proprium signum talis status, non peccabit quis saltem graviter contra prohibitionem dimittendi habitum; quia revera non dimittit neque occultat proprium statum. Unde, si assumat partem alterius habitus, quæ proprium non occultat, peccare quidem poterit contra decentiam religiosam, vel contra canones prohibentes clericis vel monachis laicum vel indecentem vestitum, non tamen contra obligationem non dimittendi habitum. Dixi autem, si sit sufficiens signum proprii status, quia non satis est quod sit signum religiosi status in communi, quia religiosus tenetur deferre peculiarem habitum suæ religionis, ut Navarrus supra notat, et sufficienter probatur rationibus adductis.

12. *Quomodo item nihil proprii habitus mutando, sed alium superinduendo.*—Quæri autem hic potest an occultatio habitus nihil de proprio exuendo, sed alium superinduendo, sit mutatio sufficiens ad peccatum mortale. Sed hoc dubium tractavi latius in 5 tomo tertiæ partis, in loco citato, in num. 8, et mihi semper videtur ex vi materiæ non esse illam mutationem de qua loquuntur jura, quia revera non est dimissio habitus; neque etiam intrinsece esse mendacium, vel quia occultare veritatem non semper est mendacium, vel quia vestis assumpta non est principaliter ad significandum, sed ad alium usum, propter quem accipi potest sine mendacio, etiamsi alii decipi permittantur. Præterea, licet illa sit ficta simulatio, quando sine rationabili causa fit, nihilominus non videtur ex objecto mendacium ita perniciosum, ut sit peccatum mortale; judicandum ergo erit ex fine, nam si id fiat ex intentione mortali, erit mortale,

et multo magis si fiat animo apostatandi, vel fugiendi a religione; quia illa intentio et est mortalis, et multum proportionata illi actioni. Idemque timendum est si fiat animo libere vagandi per multum tempus, quia illa est virtualis depositio religiosi habitus.

13. *Quomodo tandem dicta dimissio possit omni peccato carere.* — *Primo, ex justa causa, seu necessitate.* — Ultimo est circa hanc obligationem advertendum, non esse ita præcise necessariam, ut oppositum nunquam liceat, saltem ad tempus et ex justa causa. Quia propter gravem necessitatem vel tuendi vitam, vel vitandi gravem infamiam aut scandalum, licite potest mutari habitus religionis ad tempus, ut notavit glossa, in cap. 2, Ne cleric. vel monach., in 6, et in c. Cleric., 2, de Vita et honest. cleric., et sumitur ex textu ibi: *Nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari.* Idemque in simili de prohibitione portandi arma notavit glossa, in cap. Cleric., 1, eod. tit. Et idem docent Sylvester, verb. *Habitus*, et alii Summistæ, tum ibi, tum verb. *Excommunicatio*; Antonin., tertia parte, tit. 24, c. 53. Et ratio est, qui tunc illa non est temeraria dimissio, imo nec voluntaria censetur, argument. c. 4, De his quæ vi, etc.; et quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore, quando alias materia est de se indifferens, et transgressio non cedit in contemptum religionis, vel damnum commune; in eo autem casu nihil horum intervenit, quia illud tunc non est mendacium, ut probat ratio supra facta num. præcedenti, nec fit in contemptum religionis, nec sequitur aliud damnus, sed potius fit ad vitandum illud, ut supponimus.

14. *Instantia contra proxime dicta diluitur.* — Dices, hoc ad summum habere locum quando necessitas præoccupat hominem, non vero quando homo se ingerit actioni vel itinere habenti necessitatem illam, vel periculum annexum. Respondeo, in priori casu de necessitate præoccupante, semper hoc procedere, etiamsi contingat occasionem illam ex antecedente peccato oriri, quia illud est per accidens, et hic et nunc judicandum est de humana necessitate prout jam in re existit. In posteriori autem casu de se ingerente, pensanda est necessitas vel utilitas aggrediendi opus vel iter quod sine mutatione habitus religiosi commode fieri non potest; nam si illa fuerit sufficiens, non est relinquendum opus propter illam circumstantiam, ut recte sensit Navarr., consil. 70, de Regularibus, in secunda impres-

sione, addens iudicium de legitima causa in hoc negotio relinqui arbitrio boni viri, cum non sit jure determinatum, argument. cap. *De causis*, § 1, de Officio deleg., et l. 1, ff. de Jure deliberandi. At vero, quando ratio aggrediendi opus est iniqua, vel non necessaria, tunc, licet fieri non possit sine periculo vitæ vel infamiæ absque mutatione habitus, nulla est excusatio, sed dupliciter in eo facto peccatur, primo in intentione juxta malitiam ejus, deinde in medio assumpto ad excusandum periculum non imminens, nec necessarium, sed voluntarie assumptum.

15. *Secundo, potest carere omni peccato ex dispensatione.* — Alia quoque ratione potest fieri licita hæc mutatio habitus per justam dispensationem. Cum enim hæc observantia non sit de substantia status religiosi, certum est admittere dispensationem ex justa causa, quæ etiam relinquitur arbitrio prudentis dispensatoris. Non requiritur vero tanta, ut per se sufficiat excusare, quia illa non esset dispensatio, sed interpretatio. Neque etiam est necessaria ingens et extraordinaria causa, qualis ad dispensationem in ipso statu religioso, vel in substantialibus ejus necessaria est, quia minor effectus minorem causam requirit. Et eadem proportionem, quo mutatio futura fuerit major vel diuturnior, eo majorem causam postulat; ut si detur dispensatio ad totam vitam, sed solum ad tempus studii, vel ad agendum negotium, aut iter. Et similiter plus requiritur ut mutetur habitus monachalis in laicalem quam in clericalem, et plus ut in clericalem quam in alium monachalem, quia magis receditur a lege, seu regula.

16. *Hanc dispensationem potest Papa concedere.* — *De prælato religionis idem probari videtur a Navarro.* — *Confirmatur.* — *Ejus ratio, qua etiam satisfit probationi contrariæ.* — *Satisfit confirmationi, præcedenti numero allatæ, ex multiplici discrimine inter dispensationem clausuræ et habitus.* — Quæri autem potest quis habeat potestatem concedendi hanc dispensationem. Et quidem constat Summum Pontificem maxime posse illam concedere, c. *Deus qui*, de Vita et honest. cleric., et quia in omnibus habet supremam potestatem. De Prælato autem religionis dubitari potest. Nam videtur etiam illum posse hanc licentiam ex justa causa dare, quia per hoc non dispensat in voto, sed in regula, quæ illam conditionem includit, nisi justa causa obstet. Et confirmatur, quia Prælatus potest dispensare cum religioso in clausura (loquimur enim de viris,

et ex vi juris communis); ergo et in delatione habitus, quia ejusdem sunt obligationis, ut patebit cap. seq. Atque ita sentire videtur, et hæc duo æquiparare Navarr., dict. cons. 70, n. 8 et 9. Nihilominus censeo solum Papam posse hanc dispensationem concedere, proprie loquendo. Quod ita declaro, nam aliud est dare licentiam ad opus quod sine mutatione habitus commode exerceri non potest, aliud vero dispensare per se et directe in gestatione habitus. Primum facere potest Prælatus, et facit quotidie; et ita loquitur Navarr., ut constat ex casu quem tractat. Illa vero non est dispensatio in hac obligatione, sed facultas ad agendum opus religiosum, quæ non est necessaria ad opus propter dispensationem, sed propter subordinationem et obedientiam religiosam; posita autem illa facultate ad opus, altera obligatio per se cessat ratione occurrentis causæ, juxta supra dicta in num. 13 et 14. Propria autem dispensatio esset, quando opus, ad quod datur facultas, sine periculo vitæ, vel infamiæ, vel alio scandalo, potest exerceri in proprio habitu religioso, et daretur specialis licentia ad non deferendum habitum illo tempore; et hoc modo nego posse Prælatum dare hanc dispensationem. Hancque differentiam constituo inter Pontificem et Prælatum. Ratio me movens est, quia hæc dispensatio non tam est in regula quam in jure communi, ut ex dictis num. 6 constat, et potestas ad illam concedendam nullibi invenitur data Prælati; neque etiam continetur in generali facultate quam habent dispensandi in jure communi, quia illa solum extenditur ad res quæ ordinariæ et frequenter occurrunt, et ad dispensationes moraliter necessarias ad ordinarium vivendi modum; hæc autem dispensatio non est hujusmodi, sed est valde extraordinaria, et multum exorbitans, ideoque supremam Pontificis potestatem mihi postulare videtur, quamvis hoc in terminis disputatum non invenierim. Atque hanc etiam differentiam considero inter existentiam extra claustrum, et mutationem habitus, quod illa est frequenter necessaria, et habet ordinarias causas, hæc vero minime; et ideo prior censetur concessa Prælato in generali potestate, non autem posterior. Item est alia ratio optima, quia facultas existendi extra claustrum quasi per se et directe pertinet ad jurisdictionem Prælati, ut possit uti suo subdito, ubi ille indigerit, vel ei præcipere ministerium extra claustra, quando opportunum judicaverit; mutatio vero habitus per se non spectat ad executionem obe-

dientiæ religiosæ. Non ergo est similis ratio, neque illa duo æquiparantur, nisi quando ex facultate ad aliquod opus necessaria est utraque circumstantia. In quo etiam est differentia, quia circumstantia loci moraliter est per se intenta, et intrinsece postulatur in ipsa facultate; alia vero est omnino per accidens, sequiturque ex causis extrinsecis, et ideo non est ita directe intenta.

17. *Instantia contra datam resolutionem.* — *Diluitur.* — Dices: interdum religiosus, habens facultatem a Prælato ad aliquod iter vel ministerium agendum, dubitat an expediat vel liceat mutare habitum, et sua auctoritate non audet, et de licentia Prælati securus facit; ergo signum est posse Prælatum directe et per se hanc licentiam dare. Respondeo, illam magis esse authenticam interpretationem quam dispensationem; nam in rigore illud dubium posset determinari per prudens arbitrium, considerata causa; si vero potest fieri recursus ad superiorem, merito fit, quia ad illum ex officio spectat declarare an lex obliget in casu dubio, et sua auctoritate adjungit practicam certitudinem. Quod si quis illam vocet dispensationem, non contendo de voce, quia solum loquimur, quando constat obligationem non dimittendi habitum non cessare ob extrinsecas causas, et per se tollitur a superiore; et hoc dicimus pertinere ad solum Pontificem. Unde infero, regulariter ac moraliter loquendo, per solam licentiam Prælati non posse dimitti habitum pro tota vita, nec pro tempore diuturno, et quasi stabili modo, sed solum occasione alicujus actionis, et pro tempore quo durat; quod secus est de dispensatione Pontificis, ut per se constat. Et ideo dico, *regulariter loquendo*; quia si religiosus mittatur a Prælato ad prædicandum Evangelium, ubi non potest sine periculo facere nisi mutando habitum, etiam poterit longo tempore, et per totam vitam ea licentia uti, quia est consequens ad prædictum ministerium, quod toto illo tempore sancte exercetur.

18. *Assertio secunda: Religiosum exuere se absque animo deserendi habitum, non esse peccatum, seclusa regula vel extrinsecis circumstantiis.* — *Ostenditur assertio.* — *Sentire videtur Sylvester semper peccare religiosum exuendo se absque rationabili causa.* — *Accedit aliqua ex parte Navarrus.* — *Sustinetur tamen assertio posita.* — Hactenus a num. 4 diximus de dimissione et mutatione habitus; nunc de spoliatione breviter dicendum est, nihil de illa esse statutum jure communi, quia cap. 2,

Ne cleric. vel monach., in 6, non loquitur de spoliatione, ut in 5 tom., tertia parte, num. 8 allato, dixi. Et omnia alia jura magis loquuntur de mutatione habitus, cum qua status relinquatur, quam de spoliatione, ut supra notavi. Unde ex vi juris communis hoc prohibitum non est; neque etiam ex natura rei, aut ratione voti, seu status religiosi. Consulenda ergo est religiosa regula, tanta enim erit hæc obligatio, quanta in illa fuerit imposita. Unde nisi ex aliis circumstantiis hæc transgressio fiat culpabilis, vel mortale peccatum, non erit talis, nisi juxta regulæ obligationem. Ait tamen Sylvester, verb. *Faccommunicatio*, 9, num. 52, nunquam dimitti (etiam hoc modo) a religioso professo sine rationabili causa absque peccato: *Quia adeo* (inquit) *est annexus ossibus monachorum, quod in quocumque loco consistentes, sive in lecto quiescentes, constanter eo uti debent*; citat cap. *Vidua*, 20, quæst. 4, ubi Concilium Toletanum X, loquens de virginibus sacris quæ religionem prolitentur, ait: *Tunc accepta a Sacerdote, vel ministro, apta religionis professioni veste, seu in lectulo quiescens, sive in quocumque loco consistens, constanter ea utatur*. Et Concilium Carthaginense IV, cap. 11, dicit: *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniali aptis*; habetur in cap. *Sanctimonialis*, 23 dist. Imo indicat præterea Sylvester hoc peccatum esse mortale, si ex rationabili causa non fiat, ut si ex lascivia (inquit) et illicita sensualitate dormiendi quietius in hospitio extra monasterium. Et Navarrus, in consil. de Apostatis, significat religiosum, qui spoliatur habitu ad liberius fornicandum, peccare mortaliter, non solum contra temperantiam, sed etiam exuendo habitum, quamvis apostata non sit. Nihilominus ex vi juris communis certum existimo non esse in hoc obligationem sub peccato mortali, quia neque in citatis decretis sunt verba quæ indicent rigorosum præceptum. Nam in cap. *Vidua* solum dicitur, *constanter ea utatur*; in alio vero, *qualibus semper usura est*, quæ non sunt verba rigore præceptiva, ut per se constat; nec communi usu et consuetudine ita sunt interpretata. Nec dicti auctores oppositum sentiunt; nam Sylvester expresse dicit, licet monachi debeant semper suo habitu uti, tamen hoc debitum esse honestatis, non necessitatis. Et in hanc sententiam refert Archidiaconum, et Joan. Andream; solum ergo volunt ex circumstantia extrinseca

posse illud peccatum esse mortale. Unde in prædicto casu intemperantis religiosi non erit, per se loquendo, duplex malitia mortalis in illo actu, una fornicationis, alia spoliationis habitus, nisi fortasse ex speciali regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit; semper enim jura specialia excipimus, quæ consulenda et observanda sunt. Alia de decencia, quam religiosi in vestibus servare debent, legi possunt apud Navarr., Comment. 4, de Regul., numero vigesimo septimo, ubi late expendit Clem. 4, de Constit., de qua aliqua dicemus in cap. undecimo.

CAPUT VI.

UTRUM RELIGIOSI AD CLAUSURAM SERVANDAM NON EGREDIENDO CLAUSTRUM PROPRIO ET RIGOROSO PRÆCEPTO TENEANTUR.

Circa clausuram major est et specialis monialium obligatio, et ideo quæ in genere dicemus, de viris præcipue intelligenda sunt; postea in cap. 8 et 9, quod feminis fuerit particulare addemus. Potest autem religiosa clausura in duas partes distribui: una est observatio claustrum, non egrediendo extra illud; alia est ejusdem claustrum observatio, non admitendo personas extraneas seculares vel laicas intra illud.

1. *Argumentum pro sententia neg.*—*Prima pars argumenti urgetur.*—Circa priorem partem clausuræ in hoc capite propositæ, quæstio est an habeant religiosi speciale præceptum non egrediendi extra claustrum sine legitima facultate, et consequenter an talis egressus ex suo genere sit peccatum mortale. Ratio dubitandi est, quia hæc obligatio non oritur ex voto, nec ex præcepto ecclesiastico; ergo ad summum oritur ex regula; ergo non est major quam sit communis obligatio regulæ; non est ergo, per se loquendo, et ex genere suo, peccatum mortale. Prima pars antecedentis probatur, quia religiosi directe non vovent clausuram, quia ordinarie solum vovent tria substantialia vota; neque etiam indirecte in his continetur clausura, nisi in quantum in virtute obedientiæ præcipi potest; ergo, donec ita præcipiatur per regulam vel Prælatum, non est talis obligatio ex vi voti. Neque obstat quod aliqui dicuntur profiteri expresse hoc modo: *Promitto Deo, et Sanctis ejus, et vobis, Domino Abbati, me perpetuam continentiam servaturum in hac domo, vel monasterio, ut ex Speculatore refert Navar-*

statim citandus, tum quia illud speciale est, et mihi non constat in qua religione servetur; tum etiam quia intentio illorum verborum non est promittere nunquam exire a monasterio materiali, sed formali, ut sic dicam, id est, servare continentiam cum perseverantia in tali statu.

2. *Urgetur posterior pars argumenti.*—Secunda pars probatur, quia nullum est in jure canonicum decretum quod hujusmodi præceptum satis probet. Nam si qua sunt, maxime illa quæ Gratianus congerit, 16, q. 1. Illa vero non de permanentia in clausura, ut sic, sed in ordine ad abstinendum a functionibus ecclesiasticis loquuntur, quando verbis utuntur præceptivis, ut patebit unum vel aliud attingendo. Primum est c. *Placuit*, secundum, 16, q. 1, ubi Eugenius Papa ait: *Placuit communi nostro Concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat*. Et infra: *Sit claustrum suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus*. Unde Bernardus, serm. 4 de S. Andrea, monasteria comparat stagnis a quibus pisces non habent divagandi facultatem. In quibus verbis priora, quæ majorem rigorem continent, non sunt absoluta, sed cum illis limitationibus, *pro lucro terreno, et nefandissimo ausu*, ex quibus constat non simpliciter prohiberi exitum, sed ad pravum finem, vel ad actiones vel ministeria monachis prohibita, quæ ibi statim recensentur juxta illius temporis consuetudinem. Posteriora autem verba non continent præceptum, sed monitionem et recordationem proprii status, ut patet etiam ex subjunctis verbis: *Sedeat itaque solitarius, et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit*. Quomodo etiam dicit Concilium Nicænum, in c. *Placuit*, 1, ejusdem quæst.: *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut monachorum conversatio et vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet (monachus enim græce, latine singularis dicitur), unde monachum per omnia singulariter agere oportet*. Per quæ verba sui status illum admonet; et postea subjungunt præceptum in his decretis (quod præ oculis habendum est) intentum; agunt enim de monachis antiquis, qui ex vi status non erant sacerdotes, neque ad ministeria ecclesiastica ordinabantur, sed ad vitam separatam et contemplativam agendam; directe ergo prohibentur exire ad illa ministeria circa populum peragenda, non vero novum præceptum circa eorum statum eis imponitur. Imo,

in dict. c. *Placuit*, 1, in fine, aperte supponitur monachos posse exire seu peregrinari, nam dicitur ut non sepeliant nisi monachum in monasterio secum commorantem, etsi fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit. Per illam vero comparisonem piscis declaratur utilitas vel necessitas claustrum ex vi status, non ex speciali præcepto canonico. Aliud decretum est in cap. *Monachi*, 2, eadem quæst., sed constat manifeste ibi non exitum, sed ecclesiasticum ministerium egredienti prohiberi, et præterea addi, *sine imperio Abbatis*. Idem potest responderi ad c. *Juxta*, et c. *Qui vere*, ibid.

3. *Probantur consequentiæ argumenti n. 1 illate.*—Consequentiæ autem in num. 1 illatæ probantur a sufficienti partium enumeratione, quia non est aliud principium unde possit oriri hæc obligatio, nisi regula, quæ quoad hanc observantiam non fertur majori rigore, nec verbis magis indicantibus præceptum, quam in aliis, ut videre licet in Regula Augustini, cap. 10, alias 29; quoad hanc partem solum dicitur: *Qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Propositus jussit, ire debet*. Dixerat enim in capite præcedenti, et in c. 16, alias 8, ut nunquam soli incedant, sed duo vel tres simul; hic autem subjungit, socium debere a prælato designari; unde a fortiori supponere videtur, potius quam dispo- nere, ut petatur licentia a Præposito, si quo eundum est: hæc autem regulæ non plus obligant quam reliquæ. Basilius autem in sua regula nullum peculiare præceptum de hæc re posuit; solum, in reg. 35, ex fusioribus, indicat utilitatem magnam manendi intra claustra. Et in c. 8 Constit. monast., monet graviter religiosos ut in assignato sibi ad habitandum loco fortiter et quiete permaneant, et non facile huc illucque discurrant. Subdit vero statim: *Neque vero tamen propterea perpetuo est tanquam in custodia permanendum, sed quandocumque et res poscit, et conscientia non reprehendit, libere est fidenterque prodeundum, ita tamen ut in prodeundo modus teneatur, et prava omnis suspicio evitetur*. In regula autem Carmelitarum (quæ creditur esse Basili), capite sexto, dicitur: *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes*, etc. Ex quibus a fortiori sequitur obligatio manendi in claustrum. Sed illa regula non plus obligat quam aliæ, et certum est minus obligare quam præceptum non exeundi extra claustrum; gravius enim peccaret religiosus Carmelita extra